Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Claudii Ptolemei viri Alexandrini Mathematicę disciplinę Philosophi doctissimi Geographię opus nouissima traductione

Ptolemaeus, Claudius

Argentin[a]e, 1513

Annotation (hs.)

urn:nbn:de:bsz:31-118326

Visual Library

Arguunt iudei moderni et maxime Rabi caulus brachmonensis in glosa [redacted] psalmi lxxi. Unde dicit quod Ihesus nazarenus fuit homo pauper et
derelictus et finaliter afflictus et crucifixus nec unquam fuit dominus unius parve ville ergo non potuit esse iste rex de quo loquitur David in [redacted] psalmo qui dominabitur
a mari usque ad mare quem adorabunt omnes reges et omnes gentes servient ei etc. quia in maiori parte mundi regnant infideles et maxime machometani Nam
apud indos regnat magnus cham tartarorum et idolatra in asia vero et parthia et media et mesopotamia et armenia regnant tartari zaghatei sub perfidia
machometi Et per totum oram aquilonarem iuxta mare caspium regnant tartari gazarei sub eadem secta sarracenica Et in tota asia minori et grecia usque ad mesthiam
regnat magnus turcus sub eadem secta Et in tota egypto et arabia et syria regnat magnus soldanus egypti sub eadem secta Item in tota ora affrice reg-
nat rex tunicius sub eadem secta sarracenica et machometana Et sic parva pars mundi restat in qua regnant christiani Et sic patet quod Ihesus nazarenus non est
iste magnus rex de quo loquitur in hoc psalmo quia non omnes obediunt ei nec serviunt etc. ¶ Item arguunt quidam astrologi et curiosi sic Nam licet christus
dicatur spiritualiter in aliquibus partibus huius mee regionis habitabilis citra tropicos solis imperium suum non potuit nec potest transire ad partem australem
ultra tropicos eo quod apostoli nec aliqui alii unquam potuerunt transire montes inaccessibiles et ethiopie in quorum radicibus generatur ignis et in lateribus et
iugis eorum sunt perpetue nives et nunquam potuerunt transire ultra tropicum capricorni eo quod illa terra est supposita opposito augis solis ubi generatur continuus ignis
ex reflectione radiorum solis maxime dum sol est in signis australibus Et sic nullus potest accedere unquam ad illas partes ut dicunt omnes philosophi et astrologi Tunc
ergo arguitur sic nam in tota illa parte australi ultra tropicos vel habitant et vivunt homines aut non non est dicendum quod non quia tunc deus frustra creasset illam
medietatem mundi hoc autem est falsum quia deus et natura nichil faciunt frustra ergo sequitur quod in illa parte australi habitant homines sicut in ista terra aquilo-
nari Et per consequens sequitur quod ad illos homines non potuit pervenire noticia de christo nec predicatio ewangelica per apostolos nec alios christianos et per consequens in illa media parte mundi non
christus dicatur nec adoratur nec colitur et per consequens non est redemptor illius nec dominus de quo dicitur in hoc psalmo quod dominabitur a mari usque ad mare et ad terminos
orbis terrarum et animas pauperum salvas faciet etc. In oppositum est ipsa veritas ewangelica Mathei ultimo dicens data est michi potestas in celo et in terra Item ad phi-
lippenses ii. In nomine Ihesu omne genu flectatur celestium terrestium et infernorum etc. ¶ Respondeo quod huius difficultatis in hac questione duo sunt videnda
Primo quomodo omnia dicta in hoc psalmo fuerunt verificata et continue verificantur de christo in hac tota parte mundi aquilonari Secundo videbitur quomodo fu-
erunt omnia verificata in parte mundi australi in qua nunc christus adoratur et colitur Ex quibus patebit quod per omnes partes mundi fuit verificata et verificatur de christo
prophecia huius psalmi ¶ Quantum ad primum est advertendum quod quadrupliciter errant et decipiuntur iudei circa messiam et eius regnum Primo quia non faciunt
differentiam inter primum et secundum adventum nec inter dominium sive regnum temporale et spirituale nec inter regnum occultum et manifestum nec inter regnum successivum per loca
et tempora et regnum totum simul Unde christus non erat regnaturus temporaliter nec manifeste nec familiariter in primo adventu sed spiritualiter in absencia post resur-
rectionem non debebat regnare subito per totum orbem sed successive per loca et tempora incipiens ab ihrlm et samaria et galilea successive usque ad ultimum fi-
nem usque ad secundum adventum in quo restituet totum regnum mundi deo patri et ipse dixit apostolus dicitur primo qui ascendit in celum ut ait apostolus prima ad Chorinth. xv.
Christus habitis premittitur prima conclusio scilicet quod Ihesus christus dominatus est spiritualiter a mari galilee ubi cepit predicare usque ad mare oceanum et a flumine iordanis
ubi fuit baptizatus et incepit baptizare usque ad terminos orbis terrarum Et hoc successive per loca et tempora a primo adventu usque ad secundum sicut dicit propheta et
intendit ista conclusio probatur per singula nam primo christus fuit natus in bethleem iuxta vaticinium Miche v. ubi dico fuit adoratus a pastoribus et eadem
die stella apparuit in oriente cuius ductu magi venerunt adorare eum Item eadem die omnia idola iuxta mare caspium et meothidas paludes et per omnia
regna aquilonaria inceperunt clamare regem pacis totius mundi esse natum et flumine nili exivit per septem dietas extra alveum suum absque lesione et
exinde intrat mare meum per septem hostia ut ait Strabo et higinus in sexto ut ait. huius in adventu iam nunc et caspia regna responsis honorent dominum
et septem geom probabant hostia nili Ex quibus patet quod regnum christi iam incepit per multa signa manifestata per omnes partes mundi sed regnum christi quo ad
effectum incepit in iordane quando fuit baptisatus et baptisavit iohannem baptistam et apostolos et predicavit iuxta mare galilee et misit apostolos ad predicandum per totam
terram promissionis quia tunc incepit manifeste facere et augere populum per regeneracionem baptismalem Et postea complevit mysterium nostre redempcionis in ihrlm et
post resurrectionem et ascensionem misit omnes apostolos et discipulos ad predicandum ewangelium omni creature per universum mundum Et sic patet quod regnum christi ince-
pit a mari galilee et flumine iordanis et sic fuit dilatatum usque ad mare oceanum occidentale et usque ad mare indicum et ad omnes terminos orbis terrarum
successive per loca et tempora per apostolos nam primo petrus convertit tria milia et exinde predicavit per totam iudeam philippus in samaria et galilea et bartho-
lomeus et thomas profecti sunt in indiam et matheus in ethiopiam et symon et iudas per totam egyptum et caldeam et persiam et Iacobus in hyspaniam et paulus
per greciam et italiam et galliam Et sic paulatim incepit dilatari regnum christi per apostolos sed iam magis fuit dilatatum et confirmatum per martires et ultimo
per doctores tempore constantini per cuius conversionem omnes reges venerunt ad fidem christi unde athanasius misit ethiopiam et frumentium ad indos qui confirmaverunt omnes
orientales et instruxerunt plenius in fide christi et sic christus in tribus indiis regnavit per fidem Item tota regio yberorum et albanorum iuxta mare caspi-
um venit ad fidem per unam puellam ut narrat Eusebius Item tempore augustini tota affrica erat sub fide christi et tota hyspania antequam caperetur a sar-
racenis proditione comitis iuliani et tota gallia venit ad fidem per remigium tempore clodovei regis francie Item ultimo norwegia in partibus aquilonaribus cepit
fidem christi anno domini M. CC Item tempore eracly tota arabia et egyptus et caldea et persia et media et parthia erat sub fide christi Sed meritis peccatis et demeritis
exigentibus surrexit detestabilis secta et heresis machometi que maiorem partem mundi occupavit Sed hoc non derogat veritati prophecie quia successive fuit
impleta per christum et continue impletur Nam in ethiopia regnant multi reges christianorum cum suo patriarcha secundum ritum iacobitarum et in india superiori
regnat magnus presbiter Iohannes temporaliter et spiritualiter secundum ritum nestorinorum Et inter sarracenos vivit infinita multitudo christianorum secundum ritum nestorinorum
et iacobitarum et aliorum sectarum qui omnes colunt et adorant christum licet indebite Item licet sarraceni non adorent christum adoratione et cultu latrie tamen
colunt et venerantur ipsum cultu dulie et yperdulie quia licet non confiteantur ipsum deum tamen confitentur ipsum esse filium dei ex spiritu generatum ex maria virgine
Immo si aliquis diceret oppositum aut blasfemaret christum aut matrem eius inter eos gravissima pena puniretur Immo sarraceni habent odio iudeos et affligunt
et vituperant eos propter christum eo quod persecuti sunt eum licet non credant eius mortem et passionem sed dicunt quod quando iudei voluerunt christum occidere angeli rapuerunt
eum de medio eorum qui venturus est in mundum in fine mundi ad occidendum antichristum ut dicitur in alcorano eorum Ex quibus patet quod per omnes partes mundi christus
successive regnavit et regnat hodie temporaliter aut spiritualiter sed hoc magis complebitur in fine mundi post interitum antichristi quando iudei et ceteri sequaces
antichristi videbunt se delusos quia tunc querent christianos per montes et speluncas qui baptisent eos et instruant in fide christi Et sic convertentur ad dominum deum suum
et ad david regem suum scilicet christum regem et messiam suum ut patet osee iii. Et sic ex omnibus nacionibus mundi fiet unum ovile et unus pastor sub uno capite et rege christo prout
dictum est psalmo lxxi. Et sic tunc totaliter erit impleta ista prophecia quia non solum regnavit spiritualiter sed etiam temporaliter a mari usque ad mare et usque ad omnes terminos orbis terrarum
Et per hoc patet responsio ad infidos iudeos et hec que ad primum articulum ¶ Quantum ad secundum est primo notandum secundum aristotelem primo celi et mundi et secundum ptholomeum
et omnes philosophos et astrologos quod totus orbis simul cum terra dividitur in duas partes equales et principales secundum quod linea equinoctialis dividit ipsum in duo emisperia scilicet in
emisperium australe et aquilonare et dicunt quod australe est superius et dextrum mundi et aquilonare est inferius et sinistrum pedes et sentina mundi dextrum autem mundi est pars orientalis unde
principium motus primi mobilis Et sinistrum mundi est pars occidentalis ad quam est motus Et dicunt ulterius omnes philosophi ethiopes bragmani et gymnosofiste qui
speculantur illam partem australem et maxime ptholomeus quod stelle illius partis sunt maiores et lucidiores et nobiliores et perfectiores et per consequens multo maioris virtutis
quam astra et stelle aquilonares Et dicunt quod ille polus australis est multo maior et lucidior quam iste noster articus Et ideo est nunc tota illa pars est caput mundi et per consequens influencie
sunt nobiliores et per consequens maioris virtutis Item alii philosophi et astrologi et eorum poete non derogantes supradicte divisioni dividunt totam terram in tres partes scilicet in partem australem aquilonarem
et mediam solis mediam unde partem australem appellant quicquid est ultra tropicum capricorni hyemalem et partem aquilonarem appellant quicquid est citra tropicum cancri